



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 49. Ladislaus Loctecius inauguratur in Regem Poloniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

§. XLIX.

Sæcul. XIV.

A. C. 1320.

*Ladislaus Loctecius inauguratur in
Regem Poloniæ.*

Interim Poloniæ Proceres, ac Nobilium Ordo accepta Papæ epistola auditisque consiliis Episcopi Geruardi, quem ad eum miserant, de communi sententia statuerunt Ladislao Loctecio coronam imponere, nec expectare clariorem Papæ decisionem: atque huic ceremoniæ destinarunt diem S. Sebastiani vicesimam Januarii, quæ hoc anno 1320 erat dominica. Quo celebrior autem is esset actus, inter illos convenit, ut in posterum non Gnesnæ, sicut antea, sed Cracoviæ fieret urbe nobiliore per situm, moenia, multitudinem civium, & copiam annonæ, præterquam quod olim fuisset sedes regia. Ibi proinde Ladislaum in Regem unxit Janislaus Gnesnensis Archiepiscopus, cui assistebant Episcopi Cracoviæ ac Posnaniæ, & quatuor Abbates, omnes trabeis ornati atque infulis. Dux Hedvigis conjux illius simul coronata fuit ut nova Regina. Ex illo die Reges Poloniæ semper Cracoviæ acceperunt insignia sua: quæ in hujus arce asservantur, & prius Gnesnæ fuerant; nempe corona, pomum, sceptrum,

*Longin. 19.
p. 970. D.*

Sæcul. XIV. ptrum, ac reliqua. Papa inaugurationem Ladislai approbabat tacite: immo
A.C. 1320. Regis titulum ei tribuit in epistola, quam
Rayn. 1320. paulo post ad eum dedit.
n. 3.

§. L.

Pastorculi novi in Gallia.

Retardatio belli sacri, licet hoc Franciæ Angliæque Reges urgerent acrius, fuit occasio & obtentus turbarum similitium illis, quæ abhinc annos septuaginta acciderant, cum S. Ludovicus captus fuisset. Rumor, veluti jam tum, manabat liberationem terræ sacræ reservatam esse plebejis hominibus. Itaque opiliones cæterique pecuarii relictis gregibus suis ineunte hoc anno 1320 sine armis, sine penu congregati pastorculos se dicebant, ut priores. Procedebant magna per agmina; quæ quotidie augebant desides, mendici, fures, ac erronei reliqui. Ducebant secum vel sexdecim pauciorumque annorum adolescentulos: quin etiam foeminae se adjungebant. Erant inter illos Sacerdos aliquis ob crimina privatus parœcia sua, & quidam Benedictini Ordinis desertor: qui per exhortationes suas attrahebant alios.

Hi pastorculi per urbes pagosque ritu supplicantium incedebant post crucem bini summo in silentio; & sic præcipua